

# SPRAWOZDANIA — RECENZJE — KOMUNIKATY

Ks. Marian Alfon s Myrcha, *Nieświadomość bezprawności a wina w karmym ustawodawstwie kanonicznym i polskim*, in *Polonia Sacra*, Warszawa, Rok VII, 1955, p. 276—374; Rok VIII, 1956, p. 29—124.

In articulo valde extenso, quippe qui circa 195 paginas numerat, A.R.D. Marianus A. Myrcha, Profesor Juris Canonici in Academia Varsaviensi Theologiae Catholicae, modo vero magistrali exponit jus poenale canonicum et polonicum de momento ignorantiae juris in culpam deliquentis.

Minimae, si quaedam, Auctori in Polonia optime noto opponi possunt deficientiae quod attinet ad modum examinandi et exponendi materiam. Indicata amplissima thematis litteratura, (in qua tamen doletur absentia insignis dissertationis R. P. Innocentii Swoboda, O. F. M. Ignorance in relationi to the imputability of delicts, Washington D. C. 1941, XII-261 p.), atque praemissis, in capite primo, quaestionis solvendae limitibus necnon generalibus ignorantiae et erroris notionibus et divisionibus, Auctor in capite secundo fuse exponit disciplinam canonicanam, tam antiquam quam hodiernam, de momento juridico ignorantiae legis et ignorantiae poenae relate ad culpam et poenam deliquentis; deinde, in capite tertio, longe lateque disserit de eodem objecto in jure polonico.

Quod attinet ad expositionem juris criminalis Poloniae, malo abstinerre a judicio generali critico de ea ferendo, quia me ad illud ferendum minus aptum reproto. Hoc tamen, post attentam longioris expositionis lecturam, enuntiare mihi liceat, quod non tantum extensa et accurata variarum theoriarum enucleatio, sed etiam vera et maxime quidem, critica earundem disceptatio atque firma quaestionis conclusio, sat superque demonstrant solidissimam Auctoris competentiam didacticam ejusque judicium juridicum undeque maturum.

Quod spectat vero ad expositionem disciplinae canonicae, mihi ratione studiorum personalium magis notae, incunctanter assero eam longe superare studia hucusque publicata et Auctori nota. Quin ipse personales investigationes peregerit, praeceuntibus auctoribus magni nominis in re vere versatis, fuse, lucide et recte exponit evolutionem disciplinae et doctrinae canonicae a primordiis Ecclesiae usque ad promulgationem Codicis J. C. Deinde funditus examinat et adamussim explanat varios Codicis canones, quibus, ad substantiam quod attinet,

consecrantur normae juridicae traditionales in jure et doctrina communiter admissae: quoad invocabilitatem in foro externo ignorantiae legis aut poenae (can. 16 § 2), quoad influxum ignorantiae legis aut poenae debite probatae in imputabilitatem criminalem actus legi contrarii et in inflictionem aut incursionem poenae ferendae vel latae sententiae contra violationem legis statutae (can. 2202 § 1 et § 2, 2218 § 2, 2229).

Valde sane congrueret et maximi interessest indicatio accurata et critica variarum vel saltem praecipuarum dissertationis partium et affirmationum. Sed tot et tantae sunt quaestiones speciales ab Auctore agitatae, ut ab iis singullatim enumerandis et examini critico subjicendis absitnere debeamus, ne recensio nostra limites recta ratione impositos excedat. Hoc unum vero audacter affirmare juvat: quod articulus relatus, ob inclita merita scientifica quibus fulget, Auctorem ejus, olim in Universitate Catholica Lublinensi pergratum meum discipulum, indubitanter collocat inter optimos juris penalisi ecclesiastici cultores.

*P. Gommarus Michiels  
O. F. M. Cap.*